transeat in monasterium, hæc autem revocabiliter, ita ut Ecclesiæ integrum sit, aut illam revocare, aut transitum permittere. Ducor, quòd cùm cætera professi bona transferant in monasterium, nec aliquo jure excipiatur emphyteosis, non est, cur ab hac regula excipienda sit. Differentia autem quoad potestatem revocandi inter utramque inde probatur, quòd nullo jure cautum sit, integrum esse habenti dominium directum, præterquam Ecclesiæ revocare emphyteosim in alium translatam; & Ecclesiæ tamquam quid speciale indulta est hæc revocationis intra biennium facultas §. 1. *auth. de alienat. & emphyt.* Nec obstat conditionem domini directi reddi deteriorem, negata hac revocandi facultate, quia sibi imputare debet, quod id non deduxerit in pactum. Et ideo hanc sententiam sustinent *Bald. auth. ingressi nu.22. C. de sacrosan. Eccles. & ibi Paulus num.25. Salycet. nu.9. Jason. q.46. Decius nu. penul. idem Decius c. in præsentia in novæ edit. n.194. de probat. & ibi Felin. num.49. Angel. verb. religiosus, nu.53. Sylvest. verb. religio 6. q. 1. dict. 2. Tabienus verb. relig. q.34. nu.35. Velasc. cons.101. nu.8. tom.1. Azor. tomo 1. inst. moral. lib. 12. c. 8. q. 4.*

57 Atque idem dicendum est de emphyteosi, in quam, jam ingressus in religionem, aut jam professus succedit: transferetur enim in monasterium cum eo onere, ut si ecclesiastica sit, possit ab Ecclesia revocari. Sic docet *Sylvest. verb. emphyteosis q. 20. nu.27.* dicens sic usu servari.

56 Quod si petas, quamdiu emphyteosis illa sive sæcularis, sive ecclesiastica, non revocata ab Ecclesia, duret apud monasterium: *Tapia d. auth. ingressi verb. sua c. 15. nu. 4.* ait posse dici eam duraturam centum annis, sicut de usufructu legato Ecclesiæ traditur *l. an usufructu ff. de usufructi.* Sed nullatenus id credo, quia nec usufructus monachi transiens per ejus professionem ad monasterium, durat centum annis, sed solo vitæ monachi tempore. Quare idem dicendum est emphyteosi, ut bene tradunt *Bald. Decius, Felin. Paul. Salycetus allegati nu.56. Surd. cons. 557. nu.12. vol.4.* Quare finita vita monachi, redibit ad dominum directum, ut benè ait *Paulus ibidem*; quod intelligendum est, nisi alii in eo contractu vocati essent post monachi vitam.

59 Sententia autem hæc, ut emphyteosis transeat ad monasterium, intelligenda est de emphyteosi hæreditaria, quæ potest ad extraneos transire, ut bene docent *Tapia d. auth. ingressi verb. sua c. 15. num. 4. Molina tomo 2. de just. disput. 482. col. 2. vers. si vero emphyteosis.* Unde, ut bene ait ipsemet *Molina ibi vers. quando religiosus*, si emphyteosis non sit hæreditaria, non transibit ad religionem, sed in eam succedent, qui in ejus investitura ad eam vocantur; commoditas tamen illius pertinet ad monasterium, dum talis religiosus vivit. Quod si ante professionem aliqua melioramenta in re illa emphyteotica fecerat, æstimatio illorum solvenda est monasterio succedenti in professi bona, eo modo, quo cætera illius professi bona ad monasterium pertinent, solvenda, inquam, est, ab iis, qui in emphyteosim illam succedunt.

60 Et quæ dicta, ac dicenda sunt do professi emphyteosi, dicenda quoque sunt de ejus libello, & precario: similiter enim ac emphyteosis transeunt ad monasterium. Quia etsi quandoque hæc aliter accipiantur; at in hac materia sunt idem. Atque ita docent *Bartol. d. auth. ingressum 1. lectura num.18. & ibi Salycet. nu.9. Jason num. 46. Paulus nu. 23. & 24.*

61 Quoties autem hæc transeunt in monasterium, si religiosi sint ex Societate JESU, qui in ea solis simplicibus biennii votis ligati sunt, succedent in ea; quia Societas nullum in horum succedendi bona jus habet, sed ipsimet succedunt.

62 Quod si emphyteosis esset concessa an ingressum illi monacho pro se, & pro suis hæredibus, transiret perpetuò, & irrevocabiliter in monasterium, sive sit sæcularis, sive ecclesiastica. Quia potuit concedens putare posse fore, ut emphsitota ille haberet hæredem monasterium, quod numquam perit. Atque ita tradunt *Bart. d. auth. ingressi in 2. lectura nu.37. Berojus c. in præsentia nu.419. de probat.* Aeque idem ait *Bart.* si dicatur pro se, & primo hærede: quia quia debuit concedens putare posse illum habere primum hæredem Ecclesiam, quæ numquam petit: nec frustra dictum est de primo hærede, quia posset operari respectu secundi, si fortè illum haberet. Dum autem dicimus manere perpetuò apud monasterium, intelligitur; nisi ob aliquam causam illam perdat, ut quia canonem non solvit, vel ob aliam causam, ut bene *Bartolus ibi*:

63 Immo *Berojus ibi nu.420.* dicit, posse teneri, transire quoque in perpetuum, si sit concessa pro se, & pro filiis suis. Quod monasterium censeatur in perpetuum filius. Verùm id non credo, sed tunc finietur vita monachi, nec transibit in monasterium tamquam in filium: quod de filiis veris ea concessio intelligatur; nec monasterium habetur loco filii, vel si habeatur, est in solis casibus jure expressis, ut *c. sequenti* dicemus, ex quibus non est hic. Et ita tenet in emphyteosi ecclesiastica *Anton. eo c. in præsentia num.22.* dicens, se idem quoque olim sensisse in sæculari, at modò id non firmare. Sed in omnibus tenent idem *Decius ibi in nova edit. num.294. Aretin. num.82. Barb. cons.13. num.3. in fin. volum.1. Nicolaus de Ubaldis de successione ab intestato*, ubi de succession, regularium *part.2. num.2. Redoan de spo-*

liis ecclesiast. qu.8. in princ. num.61. (habetur *tomo 14. tract.*) *Afflict. decis. Neapolit. 83. num.13. & ibi Cæsar Ursil. in addit. num. ult.*

64 Tandem superest difficultas, an quando in concessione emphyteosis est initum pactum, ne transferatur in Ecclesiam, aut personam potentiorem, obstet pactum hoc successioni monasterii in illam emphyteosim? Quidam affirmant obstare successioni monasterii, quia si monasterium succederet, esset translatio repugnans pacto. Sic docent *Bart. d. auth. ingressi in 1. lettura nu.19. & ibi Bald. nu.32. Paul. nu.26. Jason. num.46. Barbat. d. c. in præsentia nu.121. Velas. cons.101. nu.8. tom.1. Flor. de Mena addit. ad Gam. decis. 6. nu.2. concl.3.* Quare ait *Velascus*, cum hodie semper id pactum apponatur, numquam transire.

65 At verius est adhuc transire, dum ille professus vivit, quod illa translatio in pactum deducta accipienda sit de translatione ex voluntate possessoris, & perpetua, non autem de ea, quæ fit ex juris dispositione in consequentiam translationis personæ, & pro ejus vita. Atque ita docent *Felin. c. in præsentia nu.36. in fin. & nu.49. de prob. & ibi Berojus num.418. Idem Berojus in suis quæst. q.70. num. 5. Sylv. verb. emphyteosis q.20. num.27. Villalob. in suis communib. opinionib. libera M. verb. monachus nu. 181. Caldas de nominat. emphyt. quæst.6. nu.13. in fine, Avendanno junior. l.40. Tauri gloss. 4. nu.15. Manuel q. regular. tom.2. qu. 78. art. 9.* & constabit magis ex infrà dicendis.

S U M M A R I U M.

Utrùm res data monacho in sæculo ea lege, ne illi integrum sit eam alienare, transeat in monasterium eo profitente? referitur quædam sententia, nu.66.
Sententia auctoris, nu.67.
Refertur quædam limitatio? nu.68.
Utrùm bona sic alienari prohibita maneant perpetui in monasterio? refertur quædam sententia, nu.69.
Explicatur sententia auctoris? nu.70.

66 QUæstio ultima. Utrùm res data monacho in sæculo ea lege, ne illi integrum sit eam alienare, transeat in monasterium eo profitente? Quidam sic distinguunt: si prohibita sit alienatio, ut res illa in familia maneat, succedat monasterium, si verò ut ad extraneum perveniat non succedet. Ita docent *Angel. verb. hæreditas num.21. & ibi Armil. num.10. Tabiena q.15. nu.16.* Intelligo autem hos Doctores, cùm dicunt in hoc posteriori casu non transire, ut intelligant irrevocabiliter, & in perpetuum. Nam cùm eo pacto non obstante monachus ille existens in sæculo esset possessurus ea bona toto tempore vitæ suæ, & postea ad extraneum essent perventura, non est, cur non pertinere debeant ad monasterium, dum monachus ille vixerit; quippe in hoc non contravenitur illi prohibitioni, nec juri extranei successuri præjudicatur.

67 Sed verius est absolutè id pactum non alienandi minimè obstare successioni monasterii in ea bona, quia ea prohibitio intelligitur de alienatione voluntaria, & ex facto hominis proveniente: secus autem de alienatione necessaria inducta à lege in translationis personæ consequentiam qualis est hæc, ut constat ex dictis *num.65.* Atque ita docent *Dyn.* quem refert, & sequitur *Bart. auth. ingressi in 2. lectura num.50. G. de sacrosanct. Eccles. Innoc. c. in præsentia num. 5. de probat. & ibi Hostiens. nu.8. Joan. And. nu.16. Anton. nu. 24. Abbas nu.73. Anchar. nu.22. Berojus nu.554. Mantua n.89. Molina lib.1. de primog. c.13. num. 77. Tapia d. authent. ingressi verb. sua c.12. num.38.*

68 Limitat hoc *Sylvest. verb. hæreditas 1. qu.7. nu.10. dicto* 4. ut hæc bona transeant ad monasterium, quando eo transitu minimè frustraretur finis prohibentis alienationem: secus si frustraretur. Sed hanc quoque limitationem intelligo juxta ea, quæ dicam *nu.70.*

69 Sed difficultas est, utrum bona sic alienari prohibita transeant perpetuò, & irrevocabiliter in monasterium? *Berojus d. c. in præsentia nu.554.* ait semper permanere in monasterio perpetuò, & irrevocabiliter. Quippe si testator interdixit alienationem, volens ea bona permanere in familia, & transire ad liberos, & descendentes debentur monasterio in perpetuum, juxta dispositionem *ejus c. in præsentia*, ne ingrediens retrahatur à vita contemplativa timore amissionis bonorum. Si verò prohibitio nullum fideicommissum tacitum, vel expressum contineat, sed nudum interdicentis alienationem mandatum, tunc multò fortiùs ea bona non debetur irrevocabiliter acquiri monasterio. Nec, inquit, obstat *auth. res quæ C. commun. de legat.* ubi subjecta fideicommisso alienari nequeunt præter casus ibi expressos, inter quos ingressus religionis non numeratur, nec causa pia. Quia illa authentica loquitur, quando gravatus vellet principaliter alienare bona absque persona; secus si bona transeant cum persona. Et concludit idem dicendum, quamvis esset duplex alienandi prohibitio, altera legis, & altera testatoris.

70 Sed quando est fideicommissum tacitum, vel expressum, nullatenus credo remansura ea bona perpetuò in monasterio, sed ad solam monachi vitam, ut diximus, *nu. 15.* Et concordat limitatio *Sylvestri* relata *nu.68.* nam credo ipsum loqui de translatione perpetua, & irrevocabili. Quippe in hoc eventu manifestè esset contra intentionem prohibentis, si ea bona perpetuò ad monasterium venirent. Nec *c. in præsentia*, decidit contrarium ut videbimus *c. sequenti*. Si verò nullum tacitum, aut expressum fideicommissum contineat, distinguendum est, ut distinxit *ibidem Sylvester*, si frustretur finis intentus à prohibente manentibus bonis perpetuò in monasterio, non manebunt; secus si non frustretur. Quia totum hoc pendet ex intentione prohibentis alienationem.

C A P U T XVI.

Aut si gravatus, ut bona aliqua cuidam tertio restituat, si absque liberis decedat, ingrediatur religionem nullis filiis relictis, succedat monasterium in ea bona?

S U M M A R I U M.

An textus disponentes monasterium in hac bona succedere locum habeant in foro conscientiæ? num. 1.
Improbatur sententia dicens in neutro foro procedere, nu. 2.
An ratio hujus constitutionis sit, quod monasterium habeatur loco filii, & verò sic habeatur? Refertur quædam sententia, num. 3.
Explicatur sententia auctoris, num.4.
An tantùm habeatur loco filii in casibus jure expressis? nu.5.
An in acquisitione comparetur monachus filio, an servo? & quid quando alterutra æquiparatio est monasterio utilior, aut utraque damnosa? num.6.
An sit ratio ejus constitutionis, quod conditio sine liberis censeatur favore monasterii rejecta? num.7.
Traditur vera ratio ejus constitutionis, num.8.
Quoties substitutus excluditur per monasterium excluditur in perpetuum, num.9.
Quando substitutus non excluditur per monasterium, retinebit bona professi, dum vixerit, num. 10. & ibi remissivè, an hoc translato legitimè ad monasterium succedendi incapax, perdat monasterium ea bona, & statim admittatur substitutus?
An substitutus ille admittatur contra expressam testatoris voluntatis, & ideo rejiciatur conditio, si quis non ingressus sit religionem? Refertur quædam sententia, nu.11.
Explicatur sententia auctoris, num.12.
An excludatur substitutus, quando gravatus profitetur in religione incapaci succedendi? & an idem sit in professione cujusvis ordinis Mendicantium? nu. 13.
An à die professionis succedat substitutus? Refertur quædam sententia, num.14. & 15.
Sententia auctoris, nu.16.
Quid si professus ille ea bona distribuerat in usus pios, aut alii donarat ante professionem, aut renunciarat, testaturve in favorem suæ religionis, an tunc substitutus privetur iis bonis, saltem dum vivit monachus ille? num.17.
An excludatur substitutus, quando ex consuetudine monasteria non succedunt, ut apud Gallos, & censendum sit de his monasteriis, ac de monasteriis fratrum Minorum? num. 18.
Quid si ex urbis statuto non succedant, aut si alicubi statutum sit, verba testatorum intelligenda prout sonant? nu. 19.
Quid si ille gravatus fiat religiosus Societatis JESU? nu. 20.
Quid si renunciarat in favorem Societatis? Proponuntur rationes dubitandi, num.21.
Explicatur sententia auctoris, num.22.
Quid si est consuetudo, ut mater superstes omnibus filiis lucretur proprietatem antefacti, an illam lucretur, si filius professus jam in religione successionis capaci, præmoriatur matri? num. 23.
An si monasterium capax non succedat in bona professi, quia repudiat, excludatur adhuc substitutus? nu.24.
A quonam tempore substitutus tunc admittatur? nu. 25.
Quid si ingrediens non professus est, aut professus, exiit, aut transiit ad aliam religionem, aut professio non tenuit? nu.26.
Quid si ingrediatur solum gratia pœnitentiæ agendæ? nu.27.
Quid si efficiatur oblatus Ecclesiæ secularis, se suaque illi tradens: vel si se obtulerit Episcopo, servatur in regulam monasticam? num.28.
Quid si non ingrediens monasterium illud hæredem instituat? nu. 29. Et ibi, an hac dispositio sit exorbitans à jure, & restringenda?
Quid si ingrediatur capellam secularem? nu.30.
Quid si clericus secularis fiat? Refertur quædam sententia, numero 31.
Explicatur sententia auctoris, num. 32.
Quid si substitutæ sit alia causa pia? Refertur quædam sententia, num.33.
Explicatur sententia auctoris, & dispositio, per quam reditur ad jus commune, potest extendi ad similes casus habentes sufficientem rationem, licet non sit tanta, quanta est in expressis, num. 34.
Quid si causa pia substituta non sit æquè pia, ac monasterium? num. 35.
Quid si causa pia non sit immediatè, sed mediatè substituta? num. 36.
Quid si partim causa pia, & partim profana substituatur? n. 37.
Quid si substitutus fuerit ex filiis testatoris? Refertur quædam sententia, num.38.
Explicatur sententia auctoris, num.39.
Quid si sit ex aliis testatoris descendentibus? num.40.
Quid si in hoc regno pater mehoret descendentem in tertio, atque substituat alium descendentem? nu.41.
Quid si descendenti substituto substituatur opus pium? nu.42.
An in hoc casu monasterium habeat illa bona, dum professus ille vivit, exclusis filiis? nu.43.
Quid si testator substituens adiciat causam, quia vult bona in sua familia perseverare? num.44.
An tunc excludatur monasterium omnino, ita ut necdum vivit, monachus, retineat illa bona? num.45.
Quid si gravatus ille testetur ante religionis professionem, & alium hæredem instituat? Refertur quædam sententia, nu. 46.
Sententia auctoris, num.47.
Quid si partim instituat alium hæredem? num.48.
An hæres ille institutus habiturus sit in hoc casu ea bona quando gravatus profitetur, & à solo tempore vitæ suæ, nec possit hic gravatus disponere in perpetuum in substituti præjudicium? num.49.
Quid si ante ingressum ipse, aut monasterium renunciarat in favorem tertii? num.50.
Quid si conditio aliquam adjectionem habeat, ex qua apparent testatorem de veris filiis intellexisse, ut si dicat, si absque liberis à se descendentibus, vel de suo corpore natis, &c. vel si sine liberis legitimis, aut masculis? Refertur quædam sententia, num.51.
Sententia auctoris, num. 52.
Quid si testator petat suum testamentum impleri de verbo ad verbum, vel ad litteram? num.53.
Quid si gravatus ingrediatur religionem animo fraudandi substitutum? Refertur quædam sententia, nu.54.
Explicatur sententia auctoris, nu.55.
An in dubio hæc fraus præsumatur, illaque censeatur, quando gravatus profiteretur causa eleemosynæ illorum bonorum faciendæ monasterio? num.56.
An ubi constat de fraude, agat substitutus sola actione revocatoria, an potiùs ipso jure succedat? num.57.
An sit hujus fraudis conjectura, si in articulo mortis, aut in ætate decrepita, aut quando de prole habenda desperatur profitetur, & valeat professio in re articulo facta: Refertur quædam sententia, nu. 58.
Explicatur sententia auctoris, nu.59.
An sit conjectura, si gravatus comminatus sit substituto ingressum religionis ad illum excludendum? nu.60.
An sit conjectura, si gravatus ille omnia bona alienaret ante professionem? nu.61.
An excludatur substitutus, quando gravatus blanditiis, & suasionibus religiosorum profitetur? nu.62.
An sit discrimen quo ad substituti exclusionem, sive conditio sit, si liberos habuerit, sive sit, si absque liberis decesserit? n.63.
An excludatur substitutus, si gravatus religionem ingrediens sit bigamus, num.64.
Quid si conditio referatur in propriam personam, ut si testator dicat, si decessero sine liberis, substituo Titium, & postea testator ingrediatur religionem? refertur quædam sententia, numer. 65.
Sententia Auctoris? num.66.
Quid si non in testamento, sed in donatione apponatur prædicta conditio in ipsamet donantis persona? num.67.
Quid si apponatur in persona alterius, non tantùm in testamento, sed in donatione, & in aliis contractibus, & in feudo, & in emphyteosi, ut si quis decedat, sine liberis, redeat ad substitutum? n.68. Ubi explicatur qualiter lex explicet, & suppleat verba testatoris, non autem contrahentium.
Quid si ea conditio apponatur, ut in sententiis? nu.69.
An excludatur substitutus, & monasterium, quando gravatus professus reliquit liberos? num.70.
An excludatur substitutus, quando post testamentum vivo adhuc testatore, ingressus est gravatus religionem? nu. 71.
Quid si in casu ingressus reliquit gravans aliquod legatum gravato, vel si esset filius, solam legitimam? num.72.
Quid si testator instituat filium in sacris constitutum, vel professum, & ei sine liberis decedenti substituat tertium? nu. 73.
Quid si testator dicat, succedat Titius, & nullus alius? numero 74.
Quid si gravatus aliqua sibi bona tempore ingressus reservavit? num.75.
Quid si professus ex Pontificis licentia testetur, ac alium hæredem instituat? num.76.
Quid si testator diceret, si decedat absque filiis, & illius matrimonii? num.77.
Quid si professus ille postea legitimè egrediatur, & obeat extra monasterium? num.78.
An professione filii extinguatur substitutio pupillaris, & vulgaris? num.79.
Quid si non descendens instituatur absque aliqua conditione, & illi alii ejus descendentes substituantur, an illo professo excludantur substituti? num.80.
Quid si descendens institutus gravetur restituere hæreditatem tertio, nec explicetur conditio sine liberis, quæ tunc tacitò intelligitur, an eo profitente excludatur substitutus, perinde ac si ea conditio explicita esset? refertur quædam opinio, nu.81.

Expli-

Explicatur sententiam auctoris, num.82.
An si descendenti aliquid absque conditione relinquatur ab ascendente, & substituatur monasterium, aut alia causa pia, excludatur hac si descendens ille filio relictoobeat? Refertur quadam sententia? nu.83.
Explicatur sententia auctoris cum duplici limitatione, num. 84. 85. & 86.
An substitutio facta alicui, si absque liberis decesserit, evanescat quasi habitis filiis, si relinquat filium professum sive in ordine capaci, sive incapaci? num.87.

1 Tota difficultas hujus quæstionis versatur in explicandis textibus §. *sed & hoc præsenti*, *authen. de sanctissimis Episcopis*, unde desumitur *authen. nisi rogati C. ad Trebellian. & cap. in præsentia de probat.* ubi expresè deciditur gravato hoc profitente in religione, expirare prorsus id fideicommissum, & bona illa pertinere in perpetuum ad monasterium exclusio penitus substituto. Quod decretum adeò exorbitans quibusdam vitium est; ut existiment id nequaquam procedere in foro conscientiæ, sed in solo foro externo, atque adeò monasterium in illa bona succedens teneri in foro conscientiæ post mortem illius monachi ea tradere substituto. Ducuntur, quia adversari videatur expressæ testatoris voluntati. Et quamvis textus illi præsumant fore, ut testator disponeret religionis memor ea bona ad monasterium perpetuò devenire; at præsumptioni non est locus in foro conscientiæ. Sic docent *Alciatus cons. 53. à num.6. usque ad fin. lib.9. & tract. de quinque pedum præscriptione num.49. Rebell. tract. de justit. part. 2. libro 18. quæstione 16. num. 3. conclusione* 2. Cæterùm hac sententia omninò rejecta, dicendum est eam dispositionem in utroque foro servandam, quia ea dispositio est recepta in foro canonico *d. c. in præsentia*. At iniquum est cogitare aliquid eo jure statui in conscientiæ præjudicium. Præterea, quia canon præsumptioni innitens servandus est in utroque foro dum de contraria veritate non constat: ut latè probavimus *lib.1. hujus tract. cap.* 10. *num.* 13. Cùm ergo non constet de vera testatoris intentione contraria dispositioni horum textuum, servanda est eorum dispositio præsumentium ita disposituram testatorem, si professionis illius gravati meminisset; & ita docent *Mantica de conjectur. ultim. volunt. lib.11. tit.7. numero 2. Peregrin. fideicommiss. art.28. num.91. Mattheut. de leg. & fideicommiss. lib. 3. cap. 23. num. 3. Gutierr. quæst. canonicis l.1. cap.32. numero 4. & triplici sequentii. Menochius de præsumpt. lib. 1. quæst.80. num.5. & lib.4. præsumpt.85. à num. 59. usque ad 62. Benedictus Ægidius l. Titia si non nupserit 100. parte 1. num.54. ff. de condit. & demonstrat.*

2 Multò minùs est etiam audiendus *Sarmient. lib. 8. selectar. super §. is, cui in tempus, a num.* 3. ubi clarè tenet in neutro foro excludi substitutum per religionis ingressum; quod nec monasterium loco filii habeatur, & ipsum succedere exclusò substituto videatur contra expressam testatoris voluntatem: nec adeò favendum sit piæ causæ, ut injuria substituto à testatore inferatur. Nec obstant textus *numero preced.* allegati: quippe ea authentica, cum sit jus civile; & disponat de monasterio, vi caret obligandi. Nec obstat approbari jure canonico *cap. in præsentia, de probat.* quia id fieri debebat antequam casus contingeret. Cæterum hæc sententia est quoque rejicienda, quia ea authentica, & communi Pontificum consensu, & *eo c. in præsentia*, est approbata, & omnes Doctores ita sentiunt, ut constabit ex dicendis toto *hoc cap.* Nec ea servata infertur injuria substituto, nec contravenitur voluntati testatoris, sed est juxta ejus mentem jure optimè præsumptam, ut constabit ex dicendis infrà.

3 Quamvis autem concordent aliqui auctores dicentes horum textuum decisionem esse omnino servandam; at in tradenda ejus ratione valde discordant. Quidam censent rationem esse, quod monasterium habeatur loco filii. Ducuntur ex *d. c. in præsentia* ibi: *Intelligendum non erat sine hærede decedere, qui monasterium sibi hæredem instituit.* ubi nomen hæredis capitur pro liberis, quippe in substitutione fuit hæc conditio, si institutus decederet absque liberis. Et traditur ibi ratio, cur per ingressum religionis evanescat hæc conditio: quod sic ingressus non dicatur absque liberis decedere, eo quod monasterium sit ejus hæres: ergo ut ratio aliquid probet, fumitur nomen hæredis professio. Et confirmatur, quia in aliquibus libris loco illius verbi text. *sine hærede*, dicitur, *sine liberis*, ut testatur *Sarmient. lib.8. selectar. super §. is, qui in tempus num.*2. Nec obstat si dicas id non dici à Pontifice, sed esse partis allegationem, & proinde jus inde non constitui. Quia, cùm juxta hanc monasterii allegationem fuerit à Pontifice lata sententia, eique allegationi innitens, ut constat ex illis verbis in fine textus, ibi; *attendens Cardinalis, quod Synodus videtur intentionem suam plenè fundasse*: videtur ea tamquam vera, & jus constituens approbari. Et ideò hanc partem sustinent *Glossa authentic. nisi rogati, in casus petitione, in fine, C. ad Trebellian. & §. sed & hoc præsenti verb. intraverit & verb. sed, & hoc, auth. de sanctissimis Episcopis, & §. si qua mulier verb. competere, & verb. liberos, C. de sacros. Eccles. Innocent. d. c. in præsentia, num. 8. & ibi Hostiensis num.ult. Joan. And. num. 27. Cardinalis numer.unico, colum.2. Bald. num. 5. Imola num.12. & 20. Barbatius à nu.* 65. *& num.* 127. *Mantua numer.50. Idem Baldus d. auth. nisi rogati num.7. & ibi Salycetus num.1. & 6. idem Salycetus d. authen. si qua mulier num.1. qu. 1. & ibi Jason num.18. Bellapertica, & qu.2. & auth. ingressi, q.9. C. de sacrosanctis Ecclesiis, Socinus junior. l. gallus, §. & quid si tantum, nu. 23. in fine ff. de liberis, & posthumis, & ibi Alciatus num.7. Fortun. Garzia num.75. Francus rubr. de testament. in 6. nu. 66. Guillelmus Benedictus c. Raynutius, verb. mortuo itaque testatore, el 1. num. 297. & verb. si absque liberis el 2.* ubi de pupillari substitutione *num.* 113. *de testament. Menchaca de successionum creatione lib.* 3. §. 21. *numer.* 166. *Villalobos in suis communibus, verb. monasteries, num.* 288. *Molina lib.* 2. *de primogen. c.* 9. *num.* 41. *Leonard. lib.* 2. *de justit. cap.* 41. *dub.* 10. *num.* 84.

4 Sed multò verius est monasterium non haberi loco filii, & ideo hanc non esse legitimam illius decisionis rationem. Ducor: quod textus *d. c. in præsentia*, non dicit monasterium haberi loco filii, sed loco hæredis: atque ita fuit partis allegatio: nec decisio textus illi rationi innixa est. Quod clariùs constat ex §. *sed & hoc præsenti, auth. de sanctissimis Episcopis*, ubi dicitur hanc conditionem, si absque liberis decesserit, haberi tamquam non scriptam. At si monasterium haberetur loco filii, non diceretur habita tamquam non scripta, sed defecisset utique conditio. Insuper ibi excipitur causa pia substituta; tunc enim non excludetur, sed monasterium non succedet. At si haberetur loco filii, excluderet quoque causam piam; sicut verus filius ab eo instituto habitus illam excluderet. Tandem, quia dato opposito sequerentur multa abturda, quæ congerit Felinus *d. cap. in præsentia num.* 42. Et ideo hanc partem sustinent *Bartolus auth. ingressi, in 2. lectura, num.* 53. *C. de sacrosanctis Ecclesiis, & authen. si qua mulier, num.*3. *C. eodem tit. & authen. nisi rogati, nu. uzic. quæst.* 1. *C. ad Trebellian. Baldus l. finali, in principio, nu.* 9. *C. de Episcopis, & clericis, & ibi Fulgosius nu.* 7. *Albericus d. authen. si qua mulier nu.* 2. *& ibi Faulus nu.*3. *Jacobus de Arena nu.*1. *in fine Antonius d. c. in præsentia, nu.*29. *&* 34. *& ibi Abbas nu.* 36. *Decius in nov. edit. num.* 191. *Ferretus n.* 89. *Berojus n.*76. 477. 486. *Felinus nu.* 42. *Avenatius l.* 1. *nu.*5. *ff. de testament. Ripa l. ex facto §. si quis rogatus el* 1. *n.*39. *ff. ad Trebell. Tiraquellus* multos allegans *l. si umquam, verb. susceperit liberos, in nova editione, n.*47. *C. de revocand. donat. D. Antoninus* 3. *p. tit.*10. *c.* 3. §. 10. *Decisio Pedemont. Octaviani* 126. *n.*20. *Berengar. Fernand. l. ultima n.* 7. *C. de posthum. Cald. de nominat. emphyt. q.* 6. *nu.*10. *& de renovat. empyt. q.* 19. *nu.* 9. *Mantic. de conject. ult. volun. lib.*11. *tit.*5. *num.* 6. *Menochius de præsumpt. lib.*4. *præsumpt.*83. *nu.*29. *&* 30. *Costa c. si pater* 1. *p. verb. si absque liberis, nu.*70. *de testament. in* 6. *Peregrin. de fideicommiss. art.*28. *num.*69. *Plaza de deleet. c.*42. *nu.* 16. *&* 17. *Velasc. cons.* 24. *num. ult. tom.*1. *Avendanno junior l.* 40. *Faur. gloss.* 4. *nu.*18. *Matienzo lib.*5. *recop. tit.* 11. *l.*7. *gloss.* 2. *num.*21. *& Azebedo eadem l.* 7. *nu.*28. *Spino specul. testament. gl.* 12. *principali nu.*28. *Mendez repet. l. cùm oporiet.* 3. *p. nu.*157. *C. de bonis quæ liber. Tapia d. auth. ingressi verb. sua c.*13. *num.*4. *Castillo de usufruct. lib.*1. *c.*65. *nu.*4. *Gutier. qq. canon. lib.*1. *cap.*32. *nu.*54. *Cavallos in suis qq. comm. tit.* 1. *q.*192. *in fine Cammill. Borell. cons.* 17. *nu.*31. *&* 32. *& cons.*33. *num.*102. *vol.*1. *Faber. in definitionib. forensib. Senatus Sabaud. tom.*1. *lib.*1. *tit.*2. *de sacros. Eccles. definit.* 42.

5 Quamvis autem admitteremus in hoc casu tamquam expresso in jure, monasterium haberi loco filii, id non est excludendum ad alios casus in jure non expressos, quippe est filius fictus, & præsumptus: & cùm hoc sit à jure communi exorbitans, non est ad alios casus protrahendum, sed intra proprios terminos restringendum; & ita tradunt passim ferè omnes DD. *nu. proc.* allegati, & specialiter *Baldus d. auth. si qua mulier num.*3. *& ibi Jason nu.* 19. *&* 20. *Ripa l. si umquam, q.* 34. *nu.*39. *C. de revocand. donat. Felinus d. c. in præsentia, n.*42. *& ibi Parisius num.*133. *& cons.* 65. *num.*10. *&* 11. *lib.*2. *Tiraquellus de retract. lignag.* §. 1. *gloss.*8. *nu.*20. *Molina lib.*2. *de primogen. cap.*9. *numer.* 45. *Pelaez de mayorat. in* 1. *cditione, 2. p. q.* 3. *num.*13. *Gutierr. qq. canon. lib.*1. *c.*32. *num.*56. & alii, quos hi allegant.

6 Sed quo ad successionem in professi bona, & modum, quo professus religioni acquirit, comparatur quandoque filio, & quandoque servo, prout monasterio fuerit utilius: quod si utilius fuerit, ut neutri comparetur, neutri comparabitur, ut probavimus suprà.

7 Rejecta ergo hæc ratione, alii tradunt aliam rationem ejus decisionis, nempe, quod ea conditio, si absque liberis decesserit, censeatur favore religionis rejecta tamquam turpis, & avertens à religiosu statu. Hanc tradunt omnes Auctores, quos referemus *nu.*9. cum eorum fundamento; sed hoc non esse verum probavimus *num.*12.

8 Ideo legitima ejus decisionis ratio est præsumpta testatoris eam conditionem apponentis voluntas: præsumit enim favore religionis legislator, testatorem æquè cum filiis gravati dilexisse monasterium, ac proinde sicut favore filiorum exclusit substitutum, quasi defecta ea conditione, si absque liberis decesserit; ita præsumit fore, ut si professionis substituti memor tunc esset, excluderet quoque substitutum gravato profitente in religione. Quare ex hac juris præsumptione ea conditio, si absque liberis decesseris, substituo Titium, habetur pro non scripta, quatenus est in monasterii præjudicium. Quæ quidem sententia non aliter probatur, quàm ex impugnatione rationum, quas

quas alii tradunt, & quia multæ juris decisiones innituntur præsumptæ disponentium voluntati. Et ideo hanc partem sustinent *Paulus auth. nisi rogati num.* 3. *C. ad Trebell. & l. final. in princip. num.* 5. *C. de Episcop. & cleric. & auth. si qua mulier, num.* 3. *C. de sacrosanctis Ecclesiis. Fortun. de ult. fine illat.* 16. *num.*269. *Roman. l. fin. nu.*35. *C. de pactis Alexand. cons.*121. *num.*18. *vers. præterea lib.*2. *& cons.* 35. *num.* 9. *vers. potest responderi, vol.* 3. *Decius cons.* 419. *num.*3. *vol.*4. *Galganet. de condit. & demonstr. part.*1. *c.* 18. *num.*51. *Alciat. cons.* 53. *num.*17. *lib.*9. *Corne. d. auth. nisi rogati, nu.*2. *& cons.*253. *num.*8. *lib.*4. *Berojus in suis qq.* 9. 34. *nu.*4. *Covar. variar. c.* 19. *num.*11. *Peregrin. de fideicommiss. art.* 28. *num.* 75. *Bimius cons.* 17. *num.* 3. 6. *&* 12. *lib.*1. *Crass. de success. §. fideicommissum, q.*40. *num.*1. *Cald. de nominat. emphyt. q.*6. *nu.*10. *Decisio Pedemon. Octaviani* 126. *num.*21. *Faber. citatus hic num.* 4. *Mantica de conjectur. ultim. voluntat. libro* 11. *titul.* 7. *num.*7. *& titul.* 8. *nu.*31. *Elor. de Mena ad Gamam, decis.* 319. *circa* 13. *consil. Gutierez quæstionib. canon. lib.* 1. *c,* 32. *num.*6. *Spino specul. testament. gloss.* 12. *principali num.* 29. *Matheutius libro* 3. *de legat. & fideicommiss. c.*23. *num.* 2. *&* 3. *Molina tomo* 1. *de justitia, disputatione* 190. *colu.*13. *vers. quando quis*. Nec dicendum est, ut optimè id consideravit allegato *Socino, Peregrinus de fideicommiss. artic.* 28. *num.*64. professionem facere, ut deficiat illa conditio, quasi positis liberis deficeret: tum quia monasterium non habetur loco filii, ut diximus *num.*4. tum etiam quia, ut dicemus *num.* 22. si monasterium repudiat hæreditatem, non excludetur substitutus. At si monasterium excluderet substitutum, quasi deficiente conditione, ut excluderentur liberi superstites, quantumvis repudiaret monasterium, maneret ille exclusus, sicut maneret extantibus liberis, & illi repudiarent; sed excluditur substitutus à monasterio jure speciali: ac si conditio illa non esset scripta.

9 Hinc deducitur primò, quoties substitutus excluditur per monasterium, ipsum in perpetuum excludi. Quod quidem indubitatum est apud omnes Auctores allegatos, & allegandos; & constat ex §. *sed & hoc præsenti authent. de sanctis. Episcop.* ibi, *nil spectet, ac si non esset*: quippe omnes rationes, quas tradunt DD. ejus decisionis id concludunt. Nam, si dicamus monasterium haberi loco filii, sicut habitis aliis, deficeret conditio; & filii haberent in perpetuum ea bona; ita professione in monasterio bonorum capaci, idem contingeret. Quod si dicamus eam conditionem favore monasterii excludi, haberique tamquam non adjectam, sicut non apposita conditione ea monasterium succederet in perpetuum in ea professi bona: sic ea apposita idem dicendum est. Tandem, si sequamur rationem à nobis *num. præcedenti* traditam, sicut favore filiorum, si qui existerent, excluderetur in perpetuum substitutus, ita favore monasterii.

10 Quando autem monasterium capax non succedit, sed à substituto excluditur, quod contingit in plurimis eventibus, quos numeris sequentibus explicabimus non admittitur substitutus, nisi post naturalem illius gravati professi mortem, aut quò usque aliud tempus à testatore præfixum accedat: quippe ea mortis naturalis, aut ejus temporis à testatore præfiniti expectatio multum operatur, si enim obeat prius substitutus, quàm gravatus, aut quod id tempus præterierit, pertinebunt pleno jure ea bona ad monasterium exipirante tunc substitutione, sicut etiam in simili diximus, ubi de testamento an statim post professionem succedat monasterium, & interim retinebit monasterium illa bona. Quod cum monasterium succedat in totum illius professi jus, quod in sæculo ea bona toto vitæ tempore, aut donec accederet terminus à testatore præfixus, retenturus erat cum onere post mortem naturalem restituendi: ita monasterium ex illius professi persona retinebit ea, dum ille vixerit, & post naturalem illius mortem, aut tempore restitutionis accedente, quod testator præfixit, substituto restituet, atque ita docent ii omnes DD. suprà allegati, *Baldus cons.*407. *num.*13. *volum.*1. *Ancharanus c. in præsentia, nu.* 25. *de probat. Corne. cons.* 18. *num.* 23. *& cons.* 253. *num.*8. *&* 9. *volum.*4. *Ruinus consil.* 85. *num.* 4. *volum.*2. *Bartholomæus Socinus l. cùm avus, num.* 104. *in fine ff. de cond. & demonstr. & Parisius l. gallus, §. & quid si tantum, num.* 52. *ff. de liber. & posthum. & ibi Galiaud. num.* 18. *Boerius decisione* 354. *nu.* 4. *Berojus consil.* 314. *in fine volum.*2. *Costa c. si pater* 1. *part. verb. si absque liberis, num.*63. *de testament. in* 6. *Covarr.* 1. *variar. c.* 19. *num.*7. *Ludovicus de Casanete consil.* 26. *num.* 4. *volum.*1. *Peregrin. de fideicommiss. art.*28. *num.*81. *& cons.* 47. *num.*1. *&* 4. *Surdus consil.* 90. *num.*23. *libro* 1. & alios referens *consil.* 238. *num.* 5. *&* 6. *volum.* 2. *Tapia authent. ingressi verb. sua c.*13. *num.*49. *C. de sacrosanctis Ecclesiis, Hondedeus consil.*62. *num.*37. *lib.* 1. *Molina tomo* 1. *de justitia disput.*160. *colum. antepenult. vers. in quocumque autem*. Utrùm autem sit verum, quando causa pia est substituta, habes *num.* 32. & quid quando filius est substitutus, dicemus *n.*41. & quid si hic postea legitimè transeat ad religionem incapacem, an statim substitutus succedat, habes supra, ubi de translatione bonorum. In casibus autem numerandis, in quibus speciale est, ut nec tempore vitæ monachi succedat monasterium, in eisdem notabimus, & in quibus nil speciale notaverimus, manebit prædicta regula generalis fixa.

11 Secundò deducitur, quid in ea quæstione censendum sit, an si constet voluntatem testatoris adjicientis eam conditionem, si absque liberis decesserit, esse, ut substitutus non excludatur per monasterium, quia nimirum id expressit, vel ex certissimis conjecturis ea ejus voluntas deducitur, adhuc sit excludendus in perpetuum substitutus, monasteriumque sit successurum perpetuò in ea bona contra testatoris voluntatem? Duplex est sententia. Prior asserit adhuc excludendum perpetuò substitutum. Ducitur ex §. *sed & hoc præsenti, authent. de sanctissimis Episcopis*, ibi; *tales conditiones invalidas, & pro non scriptis esse*, ubi ponderandum est illud verbum, invalidas, quod arguit defectum potestatis circa hoc, & non mentem testatoris, sicut in simili materia dicit textus *l. cùm acutissimi C. de fideicommiss.* Item ponderanda sunt verba; pro non scriptis esse. Talia enim sunt, quæ quamvis scripta sint, vult lex perinde haberi, quasi scripta non essent, ut declarat text. *l. conditiones ff. de condit. inst. juncta l. quæ sub conditione, in princ. ff. eodem titul.* Si ergo ea conditio rejiciatur tamquam turpis, & vitæ monasticæ obstans, non attendetur voluntas testatoris apponentis eam conditionem, sed defectu potestatis oppositum volendi excludetur à monasterio in perpetuum substitutus, velit, nolit testator. Et confirmatur, quia si conditio abstinendi à matrimonio carnali rejicitur tamquam turpis, atque ita si quis leget alicui ea conditione, si non nupserit, obtinebit legatum, etiamsi nubat, non obstante contraria expressa testatoris voluntate, *l. sed si hoc, §. final. ff. de condit. & demonstr.* rejicitur à fortiori conditio avertens à matrimonio spirituali; & sic contra testatoris voluntatem succedet monasterium, nec enim minus favoris tribuendum est matrimonio spirituali professionis, quam cardinali. Secundò, quia à statuto ad testamentum valet argumentum, ut probat *Everard. in suis locis topic. loco ab ultima veluntate ad legem, num.unic.* Sed statutum, ne ingrediens religionem succedat, est irritum, ut probavimus supra: ergo idem de testatoris dispositione sentiendum est. Tertiò, quia si legentur mille nubenti, & quingenta ingredienti religionem, debebuntur huic mille, ea conditione rejecta tamquam religionis ingressum impediente, ut docent multi, quos retulimus *lib.* 1. *de matrimonio, disputatione* 34. *num.* 12. Tandem quia favor animæ, & piæ causæ æquiparatur favori publico *l. final. C. de sacrosanctis Eccles.* & testator, quantumvis velit, nequit inductis in favorem publicum derogare, *c. diligenti, de for. compet. & l. nemo potest. ff. de leg.* 1. Ergo nec potest favori huic monasterii derogare. Et ideo hanc amplectuntur *Archid. c. si qua mulier* 19. *q.* 3. *num.* 3. *Joannes Andreas, c. in præsentia, num.* 35. *de probat. & ibi Antonius num.*63. *Bald. num.*18. *Hostiens. nu. ult. Abbas num.*42. *Ancharanus num. ult. Henricus num.*25. *&* 26. *Bellamera num.*33. *&* 42. *Berojus num.*487. *& duplici seq. &* 495. 496. *Felinus num.*36. *&* 37. *Parisius à num.* 136. *usque ad* 144. *Ferret. num.*89. *& à nu.*105. *usque ad* 109. *Mantica num.*52. *& num.*61. *Bart. auth. ingressi in* 2. *lectur. nu.* 53. *C. de sacros. Eccl. & l. si ita quis, §. fin. num.*3. *ff. de leg.*2. *& auth. nisi rogati, num.unic. q.* 1. *C. ad Trebell. Alberic. l. fin. nu.*8. *C. de Episc. & cleric. Petrus de Bellapert. d. authe. ingressi colum.*9. *quæst. penult. Jason auth. si qua mulier nu.* 12. *C. de sacrosanctis Eccles. idem Decius cons.* 674. *à num.*2. *usque ad* 5. *lib.* 5. *Bartholomæus Socinus consil.*92. *nu.*3. *lib.*1. *Bertrand. cons.*240. *num.*7. *vol.*6. *Corne. cons.*18. *nu.*10. *vol.*4. *Paris. cons.* 66. *à nu.*14. *vol.*2. *D. Ant.*3. *r. tit.*10. *c.* 3. §. 10. *ratione* 2. *&* 5. *Berojus cons.*114. *in fine vol.*2. *Rosella in summ. verb. legare, nu.*24. *Matina C. de restit. q.*23. *vers. itaque quatuor condition. Ledesma* 2. *p.* 4. *q.* 18. *art.* 1. *dub.*12. *fol.*227. *col.* 3. *Aug. verb. hæres, nu.*21. *& ibi Tabiena q.*16. *nu.*17. *Armill. verb. hæreditas, nu.*22. *Roland. consil.*35. *à nu.*18. *usque ad* 25. *vol.* 3. *Costa l. cùm tale §. si arbitratu, tota ampliat.* 11. *ff. de cond. & demonstr. Everard. loco à matrimonio carnali ad spirituale num.* 9. *Simon de Pretis de interpret. ultim. volunt. lib.* 2. *interpr.* 2. *dub.*2. *solutione* 2. *nu.* 192. *&* 193. *à Monte Sperello consil.*252. *à num.*2. *usque ad* 5. *volum.*1. *Bursat.* aliquantulum dubitans *cons.* 52. *nu.*41. *in fine lib.*1. *Anguissol. cons.*63. *nu.*11. *&* 13. *vol.* 1. *Avendanno junior l.* 4. *Tauri gloss.*4. *num.*28. *&* 29. *Andr. Fachin. in controvers. juris lib.* 4. *toto c.* 56. *Gama decis.*316. *num.* 2. *Joan. Anchar. in suis quæst. familiar. lib.*2. *q.*20. *nu.*6. *&* 8. *Manuel qq. regular. tom.* 2. *q.* 127. *art.*1. *vers. nec dicendum est, & in solut. ad* 3. *Emmanuel Sà sum. verb. religio n.*37. Et hanc sententiam esse verissimam sequendo decisionem textuum *d. c. in præsentia & d. §. sed, & hoc præsenti*, tenet *Sarmiento lib.* 8. *selectar. super §. si is, cui in tempus num.* 2. Quam sententiam ampliat *Costa ea ampliat.* 11. *num.* 3. *cum Decio rubr. C. de secund. nupt. nu.*5. *& Ripa l.* 1. *num.* 61. *ff. solut. matrim. contra Angulum cons.*80. *ad fin.* habere verum, sive ea conditio à religione avertens adponatur virgini, sive viduæ. Quamvis enim conditio avertens à matrimonio carnali in sola virgine rejiciatur, secus de avertente à matrimonio spirituali, quippe eadem est ratio in virgine, & in vidua. Rursus limitant hanc sententiam aliqui ex prædictis, ut intelligatur quando conditio avertit omninò à religione: ut si sit generalis, si ingrediaris religionem, secus si non omnino, ut si particularis monasterii ingressus interdicatur: quippe, cum sint alia monasteria, quorum ingressus permittitur, non est cur ea conditio rejiciatur. Sic *Barth. Socinus eo cons.*92. *num.*3. *Decius d. c. in præsentia in nova edit. nu.* 198. *& ibi Felin. num. trigesimo septimo. Ferret. n.*90. *Costa. ea ampliat. numero quarto. Anchar. ea quæst.*20. *in fin.* atque retenta hac sententia, sic dicunt eam limitandam *Peregrin.*

de

de fideicommiss. art. 28. *num.* 75. *Tapia d. authent. ingresse verb. Cosua c.*13. *nu.*24. Quam limitationem sublimitant *Felin. & Costa ibidem*, quando in eo oppido sunt alia monasteria, in quæ ille commodè recipi possit. Sed prædictam limitationem dicit non carere dubio *Mant. d. c. in præsentia num.*53. quod apparet etiam conditio turpis, & odiosa, utpote quæ unam religionem alteri præfert: & ideo *nu.* 54. relinquit cogitandum dicens, interim à prædicta limitatione communiter approbata non recedendum.

12 Sed multò veriùs existimo eam conditionem valere, ac proinde nullatenus per monasterium excludi substitutum quando constaret de expressa contraria testatoris voluntate, aut certissimis conjecturis deducta. Ducor primò, quippe religionem capesseus, paupertatemque promissurus, parum solicitus erit de bonis temporalibus monasterio acquirendis ut timore illa perdendi retrahendus sit à religionis ingressu. Immo (ut egregie ait *Covarr. c. quamvis pactum* 3. *p.* §. 1. *num.*4. *vers.*7. *ratio*,) temerarium judicium esset opinari fore, ut ille à religionis ingressu averteretur, ne monasterium bonis privaretur, quorum relinquendorum causa religionem ingrediatur, alioquin eadem causa ad religionem movens, averteret ab ea. Ergo non est, cur ea conditio, tamquam turpis, & avertens à religionis ingressu rejiciatur. Et confirmatur, quia, cum etiam in hoc eventu, quo excluditur monasterium, & succedit substitutus, monasterium debeat illa bona habere toto vitæ monachi tempore, juxta dicta *num.*10. ac solum post ejus mortem illis privandum sit, minimè præsumendum est, quemquam tam levi, & futili ratione avertendum à religionis ingressu. Secundo, quia quando causa pia substituitur, excluditur monasterium, ut dicemus infra, & tamen, si ea conditio esset turpis, & iniqua, avertensque à religione, non admitteretur etiam causa pia, sed esset quoque excludenda. Tertiò, quia si ea conditio rejiceretur, & pro non scripta haberetur, ea substitutio esset pura. At quando substitutio est pura, quantumcumque gravatus profiteatur in religione, non succedet religio in ea bona in perpetuum, sed dumtaxat tempore vitæ gravati, & post ejus mortem succedet in ea substitutus. Ergo vel dicendum est, monasterium non successurum perpetuo in bona gravati sub conditione, si liberos habuerit, sed sola monachi vita contra decisionem eorum textuum; vel dicendum est, eam conditionem non haberi pro non scripta. Quartò, quia decisio eorum textuum innititur præsumptæ testatoris voluntati, ut probavimus *num.* 8. ergo ei non est locus, quoties de contraria testatoris voluntate constat. Tandem hoc probatur diluendo argumenta contrariæ sententiæ, relata *num. præced.* ac ostendendo ea esse inefficacia ad probandum intentum. Nam ad primum respondetur, satis probatum esse in tertia ratione, non esse mentem ejus textus, ut ea conditio sit invalida, & quasi non scripta, eo quod turpis sit; sed censetur invalida & inefficax, & quasi non scripta ex sola præsumpta testatoris voluntate: præsumitur enim fore, ut eam conditionem non apponeret, si professi memor esset. Ad confirmationem dic, non esse idem de conditione, si non nupserit, & de conditione, si non ingressus fuerit religionem: Et ratio est, quia Jurisconsulti dicunt conditionem, si non nupserit à legato rejicere, ob Reipublicæ favorem circa liberorum procreationem; qui quidem favor non tribuitur in jure professioni religionis, quamvis matrimonio profectior sit: at non est melior in ordine ad civile multiplicationis Reipublic. bonum; & ita non sic rejicitur conditio, si religionem non ingrediatur, ac rejiciturs, si non nupserit: quippe hæc, et religioni refragetur, favet tamen matrimonio, & liberorum procreationi. Insuper privatio illius legati avertit à matrimonio carnali, cum tamen (ut in prima ratione probavimus) non præsumatur fore, ut à professione religionis avertat. Ad secundum respondetur, tunc valere argumentum, quando utriusque eadem est ratio, quod hic non contingit: quippe statutum non valet defectu potestatis in statuentibus; nec enim in monasterii præjudicium integrum est laicis statuere *cap. Eccles. de constit.* At testator libera de rebus suis disponendi facultate potitur *l.* 1. *C. de sacrosanct. Eccles.* Ad tertium, neganda est ea doctrina, sed ille religionem ingrediens sola quingenta consequetur, ut probavi *lib.* 1. *de matrimonio disp.* 34. *num.* 13. Ad ultimum dico, favori publico inducto ex sola juris dispositione, independenteque à voluntate disponentis non posse à disponente derogari; secus quando is favor ex sola præsumpta disponentis voluntate inductus est, ut contingit in hoc eventu. Et ideo hanc sententiam tuetur *Bald. l. fin. in princip. num.* 1. & 2. *C. de Episcop. & cleric. & ibi Paul. num.*5. & *auth. nisi rogati, nu.* 3. & *num. ult. C. ad Trebell. Idem Bald. cons.*196. *nu.*1. *lib.* 1. & *cons.*407. *nu.*13. *vol.* 1. *Alex. cons.*121. *à nu.*13. *lib.*7. *Dec. cons.* 426. *nu.* 2. & 3. & *cons.*419. *à nu.*4. *usque ad* 7. *vol.* 3. & *cons.* 259. *à nu.*3. *usque ad* 5. *vol.*2. & *c. in præsentia in novæ edit. à nu.* 229. *usque ad* 234. *de probat. & ejus Additionator num.*195. *Angel. cons.*50. *nu.*2. *Aymon cons.*52. *num.* 1. *vol.* 1. *Ripa l. ex facto.* §. *si quis rogatus, el* 1. *num.*39. *ff. ad Trebell. Alciat. cons.* 53. *n.*3. *lib.*9. & *l. gallus* §. & *quid si tantum in* 2. *lectura nu.*7. *ff. de liber. & posth. & ibi Galiaul. nu.*18. *Berojus cons.*27. *nu.ult. vol.*1. & *in suis qq.*9.34. *nu.*1. *Sapia addit. ad Abbatem d. c. in præsentia, nu.*40. *vers. circa istum casum. Ascanius Clemens de patria potestate c. ult. nu.*72. habetur *tom.* 8. (*tract. p.* 2.) *Joan. Dilect. de arte testam. tit.*5. *cautel.*18. *nu.*3. (habetur *tom. eod. p.*1.) *Costa c. si pater* 1. *p. vers. si absque liberis nu.*68. *de testam. in* 6. *Covar.* 1. *variar. c.*19. *nu.*10. *Molina l.*2. *de primog. c.*12. *n.*54. *Mantica de conjectur. ult. volunt. lib.*11. *tit.*7. *n.*4. 5. & 18. & *tit.* 18. *nu.*31. *Menoch. latissimè de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 83. *a num.* 2. *usque ad* 26. *Meres de majorat. in* 1. *edit.* 2. *p.* 9. 3. *num.* 3. 4. & 22. *Medices tract. mors omnia solvit* 3. *p. num.*49. *Villalobos in suis commun. litera M. verb. monasterium num.*196. *Riminald. junior. cons.* 270. *à num.*13. *vol.*3. *Cavalcan. decis.*1. *nu.*49. 38. & 39. *p.* 3. *Sfort. Oddo tract. de compendiosa subst. p.*6. 9.2. *art.*6. *dubio* 2. *num.*24. & *cons.*19. *nu.*22. *vol.*1. *Vincent. de Franchis decis. Neapol.*29. *num.*1. *part.*1. dicens sic sacrum Concilium relatè utrimque disputata decidisse, *decisio Pedemont. Octaviani* 126. *nu.*24. *Peregrin. de fideicommiss. art.*28. *num.*78. *Berengar. l. ult. nu.*8. *in fin. C. de posth. & in c. unic. de filiis natis ex matrimonio ad Morganticam, in præludio, c.*10. *nu.*14. & 15. *Bivius cons.*17. *nu.*12. *vol.*1. *Marzar. epitom. de fideicommiss. q.*31. *ad fin. Menchac. de success. creat. lib.*3. §. 21. *num.*167. & 168. *Cæsar Ursill. Addit. ad Matth. de Afflict. decis. Neapolit.*84. *n. ult. Manuel cons.*493. *num.*2. *vol.*3. & *ibi Annibald. ejus Additionat. verb. contraria voluntate, Bertazz. cons.*25. *nu.*29. & *vol.* 1. *Faber. citatus supra nu.* 4. *Gutier. qq. canon. lib.*1. *cap.*32. *n.*19. & 26. *Spino specul. test. gloss.*12. *principali num.*29. *in fin. Tapia d. authen. ingresse verb. sua c.*13. *num.*18. *Alvarad. de conjecturata mente defunct. lib.*2. *c.*3. *in princip. nu.*3. *Galganet. de condit. & demonstrat. p.* 1. *c.*8. *à nu.* 4. *usque ad* 53. *Cavall. in suis commun. opin. tom.*1. *q.*93. *nu.*1. *Fulvius Pacuanus cons.*36. *nu.*130. *vol.*1. *Phili. de offic. sacerdot. tom.*2. *p.*2. *lib.*6. *c.*21. *Molina Societatis JESU tom.*1. *de just. disp.*190. *col.*14. *vers. hæc vero nonnullis & disp.* 207. *ad fin. in solut. addit. Lalius Zecchius de Repub. Eccles. tit. de regular. c.*3. *num.* 14. *ampliat.* 15. *Manuel qq. regular. tom.*2. *qu.* 77. *art.*4. *Flor. de Mena addit. ad Gamam. decis.*319. *circa* 1. *conclus. Camill. Borell. cons.* 17. *numer.* 39. & 40. *volum.* 1. *Benedict. End. super l. Titia si non nupserit* 100. *p.* 1. *num.*54. *ff. de condit. & demonstr.*

13 Sed decisio horum textuum, ut gravato hæreditatem restituere, si absque liberis decedat, profitente, succedat monasterium, exclusò penitus substituto, limitatur primo, ut procedat quando professio fit in monasterio succedendi capaci: quare, si sit monasterium ordinis Minorum, nullatenus excludet substitutum. Ratio est, illud instar filii, aut hæredis haberi. Quæ limitatio ab omnibus absque aliqua controversia admittitur. Quod si opponas Sixtum IV. concessisse Minoribus, ut Ecclesia Romana succedat in bona cum prædictis conditionibus relicta, exclusò substituto, ac in aliis religionibus succedit monasterium dic cum collectore privilegiorum mendicantium, *verb. hæreditas* §. 3. hanc concessionem non intelligi de fratribus Minoribus observantiæ, ut ab eodem Sixto, & aliis Pontificibus declaratum est. Nec admittenda est limitatio, quam adhibet *Ant. c. in præsentia nu.*32. *de probat.* ubi hoc limitat, nisi fratres Minores capiant ea bona ad alimenta, tunc enim ait satis probabiliter posse dici excludendum substitutum. Sed hoc non credo, quia nullum jus succedendi ea religio habet: & ideo cæteri omnes auctores jure optimo absolutè dicunt nullatenus excludendum substitutum, atque idem dicit *decisio Pedemont. Octavian.* 126. *num.*27. de religionibus aliorum mendicantium: quod idem in alio simili dicunt alii, quos retuli supra. At hoc non habet locum hodie, quia omnes illi præter Minores, & Capuccinos succedunt in omnia professorum bona, utpote quia possunt bona immobilia retinere bona, utpote quia possunt bona immobilia retinere, juxta *Trident. sess.*25. *de regular. c.* 3. & docent bene *Nav. comment.*2. *num.* 54. *de regular. Manuel, tom.*2. *qq. regul. qu.* 77. *art.* 4.

14 Difficultas autem est, utrum substitutus ille, esto non excludatur à monasterio, statim à die professionis successurus sit? Quidam censent penitus excludi substitutum, non quidem ab ipso monasterio, cum illud non succedat, sed ab aliis operibus piis; dicunt enim ea bona in pias causas distribuenda esse. Ducuntur, quod eo gravato profitente in hujusmodi monasterio, censeatur conditio illa defecisse, si absque liberis decesserit, ac subinde evanescere substitutionem, & cum nequeat monasterium succedere, succedent opera pia. Sic docent *Angel. cons.* 91. *num.*3. *Corne. cons.*233. *num.*8. *ad fin. vol.*4. *Roman. cons.*296. *num.* 1. & *singul.*439. *nu.*2. *Gulliel. Benedict. c. Raynutius verb. & uxorem decis.*2. *in fin. de test. Angel. in summ. verb. hæres num.*13. & *ibi Tabiena q.*9. *nu.*10. *Sylv. verb. hæreditas* 1. *qu.*7. *num.*10. *dict.* 5. *Armill. verb. hæreditas num.*19.

15 Alii autem asserunt excludi substitutum non in perpetuum, sed solo tempore vitæ monachi, quo ipse in sæculo existens ea bona possessurus esset, & interim ea bona à tempore professionis pertinere ad legitimos illius monachi hæredes. Quare si substitutus prius obeat, quam monachus ille, remanebunt perpetuo bona apud hæredes illius monachi, quia illi succedunt in omnes jus mrnachi professi, sicut quando monasterium est succedendi capax, succederet: at casu, quo non excluditur substitutus, monasterium retinet bona, dum vivit monachus, & post solam ejus mortem eam restituet substituto. Ergo idem jus competit hæredibus monachi, quando monasterium est succedendi incapax. Quod etiam potest confirmari rationibus adductis suprà, ad probandum gravato restituere aliquid post mortem profitente in ordine Minorum, minimè succedere statim substitutum, sed ea

ea bona pertinere ad illius hæredes, dum ille naturaliter vixerit. Et ideo omnes DD. illius sententiæ sunt etiam hujus, & in propriis terminis tradunt *Barth. Socin. d. cum avus nu.* 104. *ad fin. ff. de condit. & demonst. Ripa l. ex facto* §. *si cuis rogatus, el* 1. *num.* 42. *ff. ad Trebell. & ibi Alex.* §. *ex facto n.*6. & ait disputativè posse teneri *Crott. l. Gallus* §. & *quid si tantum num.* 28. *ff. de liber. & posth. Spino specul. testam. gloss.* 12. *principali nu.* 34. & 35. & *glos.* 14. *n.* 127. *Cald. de nominat. emphyt. q.* 6. *n.* 19.

16 Sed verius est, statim à die professionis admitti substitutum, exclusis monachi illius hæredibus. Ratio est, nam gravans aliquem, ut decedens absque liberis restituat substituto, hanc mentem habet, ut velit gravatum omnibus ejus hæredibus, & substituto præferre, & deinde filios gravati, tertio substitutum ipsum. Cum ergo gravatus factus frater Minor sit incapax hæreditatis retinendæ, nec liberos habeat veros, nec fictitios, cum monasterium sit succedendi incapax, erunt statim à professione restituenda ea bona substituto, cum illum testator reliquis suis hæredibus quoad illa bona prætulerit. Deinde quia hujusmodi professio æquiparatur omnino morti naturali; & ideo pro hac parte sunt omnes DD. allegati supra, dicentes gravatum restituere post mortem, teneri statim à die professionis in ordine incapaci, & ibi solvimus contraria. Atque in propriis terminis hujus quæstionis tenent *Barthol. Socin. cons.* 92. *n.* 1. & 2. *vol.* 1. *Dec. cons.* 419. *num.* 1. & 7. *vol.* 3. & *cons.* 250. *nu.* 5. & 6. *vol.* 2. *Socin. junior. l. gallus* §. & *quid si tantum n.* 23. *ff. de liber. & posth. & ibi Lancelot. n.* 18. *Fortun. n.* 72. *Ruin. n.* 16. *Imola l. si ita quis* §. *is cui n.* 3. *ff. de legat.* 2. *Grav. cons.* 68. *n.* 13. *lib.* 1. *Jas. cons.* 139. *n.* 9. *lib.* 1. *Paris. cons.* 65. *n.* 7. *lib.* 2. & *de jure dotis q.* 95. *n.* 18. *Berojus cons.* 114. *in fin. vol.* 2. *Ascanius Clemens de patria potestate c. ult. n.* 72. *Boss. pract. criminal. tit. de bonor. public. n.* 35. *Riminald. cons.* 482. *in fin. lib.* 3. *Vincent. de Franch. decis.* 14. *Neapol. n.* 7. *p.* 1. *Bursat. cons.* 48. *nu.* 27. *vol.* 1. *Navar. comm.* 2. *n.* 54. *de regular. Covar. c.* 2. *nu.* 6. *de test. Mantica de conject. ult. volunt. lib.* 11. *tit.* 7. *n.* 8. *Menoch. de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 83. *n.* 71. *Parlad. in sequent. quotidianor. different. differ.* 147. §. 1. *n.* 12. & 13. *Guttier. qq. canonic. lib.* 1. *c.* 32. *n.* 25. *Cavalc.* alios referens *decis.* 1. *n.* 30. & 33. *p.* 3. *Surdus cons.* 90. *nu.* 8. & 9. *vol.* 1. & *cons.* 238. *n.* 2. *vol.* 2. & alios referens *Honded. cons.* 62. *à n.* 17. *usque in fin.* & *cons.* 63. *n.* 38. *vol.* 1. *Azor. tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *c.* 8. *q.* 6. *in fin. Ludov. de Casanete cons.* 27. *n.* 1. *vol.* 1. *Peregrin. de fideicom. art.* 28. *n.* 63. Quid autem, si hic alienarat, diximus.

17 Hoc temperant *Berojus c. in præsentia, n.* 491. *de prob.* & *Tapia auth. ingressi verb. sua c.* 13. *num.* 27. *C. de sacros. Eccles.* nisi frater ille Minor ante professionem ea bona in pauperes, aliave pia opera distribuisset; tunc enim excludetur substitutus. Probant ex §. *sed & hoc presenti vers. hoc autem solatium auth. de sanctiss. Episcop.* ubi si gravatus fuerit simplex clericus alicujus Ecclesiæ sæcularis, quo casu bona nequeunt ex hoc acquiri Ecclesiæ, si distribuat in pias causas, censetur substitutus exclusus. Ergo similiter illo fratre Minore distribuente in similes causas ante professionem. Verum *Menoch. de præsump. l.* 4. *præsump.* 83. *n.* 73. *in fin.* relata hac limitatione, remittit ad ea, quæ dixerat *n.* 64. *in fin.* ubi jure optimo negat hanc limitationem, quia ut dicemus *n.* 22. nunquam excluditur substitutus ille, nisi quando in ea religiosi bona succedit monasterium; & ideo, cum in hæc non succedat, non excludetur substitutus. Huc usque *Menoch*, nec ineptè. Sed restat difficultas, an ille donatarius retenturus sit ea bona tempore vitæ naturalis fratris Minoris illius professi, an statim à professione debeat substitutus illa bona habere; Sed de hoc diximus suprà.

18 Ex hac limitatione deducitur, existente consuetudine legitimè præscripta, ut est apud Gallos, ne monasteria in aliquot professi bona succedat, sed succedant alii hæredes, non excludi substitutum: quia talia monasteria ex consuetudine sunt successionis incapacia, perinde ut ordo Minorum ex sua professione. Atque ita docent *Berojus decis.* 354. *n.* 8. & 9. *Alciat. cons.* 53. *n.* 4. *l.* 9. *Pereg. de fideicom. art.* 28. *n.* 92. *Mant. de conject. ult. vol. l.* 11. *tit.* 7. *nu.* 9. *Menochius de præsumpt. l.* 4. *præsumpt.* 83. *n.* 53. & 73. *Tap. auth. ingressi verb. sua c.* 13. *nu.* 19. *C. de sacros. Eccles. Lud. de Casenete cons.* 26. *n.* 11. *lib.* 1. ubi Bertrandum, Mansuerium, & alias refert: non explicant autem hi Doctores, an statim à die professionis admittendus sit substitutus, an potiùs tempore vitæ illius monachi bona pertineant ad suos hæredes. Sed existimo idem dicendum, quod diximus *n.* 16. de professione in ordine Minorum; & subditur eisdem opinionibus, quia ideo professio in ordine Minorum reputatur quasi mors naturalis quoad successiones, quod nec ipse monachus, nec monasterium ex ejus persona sit successionis illius capax. Cum ergo idem conti gat in his monasteriis, ratione illius consuetudinis præscriptæ, idem dicendum est, & tenet expresè *Lud. de Casanete eo nu.* 11. à die professionis admitti substitutum. Atque ideo jure optimo hi auctores utraque monasteria inter se comparant, & adhuc constabit hoc magis ex dicendis *num.* 23.

19 Quod si ex solo statuto monasteria essent succedendi incapacia, dicit *Alciat. ibidem*, & *l. gallus* §. & *quid si tantum num.* 7. *ff. de liber. & posth.* & *Menoch. d. præsumpt.* 83. *nu.* 53. adhuc non excludi substitutum, quia etsi statum non valeat, declarat tamen mentem testatoris, quæ censetur conformis illis statuto. Idem ait *Peregrin. ibidem*, subdens quamvis de statuti valore multa dici possint, at ex quo consuetudine, & usu probata sunt, censendum esse de illis, ac si essent valida. Cæterum in alio simili non admittunt hoc DD. nisi id statutum a Pontifice confirmatum; ut si alicubi esset statutum, ut verba testatoris intelligantur ad literam prout sonant; dicunt enim tunc tantum non excludendum substitutum à monasterio juxta *c. in præsentia de probat.* quando id statutum esset à Pontifice confirmatum: quippe cùm alias sit nullius momenti in monasterii præjudicium, non censetur testatoris mens conformis illi statuto. Hi sunt *Bald. eo c. in præsentia n.* 11. & *ibi Felin. nu.* 36. *in fin. Jason auth. si qua mulier n.* 20. *C. de sacros. Eccles. Mantica d. vit.* 7. *n.* 16. *Menoch. de præsump. d. præsump.* 83. *n.* 48. quamvis enim hic non explicet hanc limitationem; at omnes DD. quos allegat, cum illa loquuntur, & sic clarè cum ea quoque loquitur: & ita censeo dicendum exigi, ut vel id statutum sit à Pontifice confirmatum, ut excludatur monasterium, vel sit jam ita legitima consuetudine præscriptum, ut vigore hujus consuetudinis validum sit.

20 Secundo deducitur, quid dicendum sit, si ille gravatus ingrediatur Societatem JESU, quæ juxta suas constitutiones à Sede Apostolica confirmatas nullum succedendi in bona jus habet. Et quidem, si religiosus ille sit in ea professus, aut simplicia coadjutorum formatorum vota in ea emiserit, succedet statim substitutus, sicut contingere in professo in ordine Minorum diximus *num.* 16. quippe hæc reputantur similiter, ut mors naturalis, ut diximus sæpe in hoc tractatu. Si autem sola vota biennii emisit, & nec dum bonis renunciavit, tunc non excludetur substitutus, cum religio sit succedendi incapax: sed ipsemet religiosus retinebit ea bona, sicut & reliqua sua bona, donec naturaliter moriatur, aut professionem, votave coadjutorum formatorum emittat, & tunc admittetur substitutus. Si vero bonis renunciet in favorem alicujus extranei, is in cujus favorem renunciaverit, retinebit ea bona toto tempore, quo ipse possessurus ea esset, nempe usque ad dicta vota, vel mortem naturalem, illis non emissis.

21 Sed majorem difficultatem habet, si religiosus hic Societatis JESU renunciarit suis bonis in favorem ipsius Societatis, an excludatur tunc in perpetuum substitutus? Ratio dubitandi est, quia sic instituens nequit in substituti præjudicium renunciare, nec ejus renunciatio prodest, nisi ut alter bona retineat tempore vitæ naturalis ipsius, ut alter bona retineat tempore vitæ naturalis ipsius, ut diximus suprà. Et confirmatur, quia non satis est monasterium hæredem instituisse, ut dicemus *num.* 28. Secundò, quia, ut dicemus *numero* 26. At hic religiosus non veram professionem emisit, sed sola simplicia biennii vota; & cum hæc decisio sit correctoria, non debet extendi, ut diximus *numer.* 4. Tandem, quia exigitur, ut monasterium sit capax succedendi in bona professi, ut diximus *numero* 13. at Collegia Societatis JESU non succedunt in bona religiosorum illius, ut dicemus: nec decisio *d. c. in præsentia*, innititur institutioni religiosi, qua monasterium instituit hæredem.

22 Cæterum satis probabile est, ac religionis pietati conforme, ut excludatur tunc in perpetuum substitutus. Ducor primo, quod ea vota constituant verè, ac propriè religiosum, non aliter quam solemnis professio, ut constat ex Bulla *Greg. XIII. ascendente Domino*. Quare ea emittens dicitur verè ingressus religionem, & ratione illius renunciationis instituta est, Societas hæres: & sic verificatur, Societatem esse hæredem, & gravatum fuisse illam ingressum; nec refert, sive monasterium sit jure hæres ab intestato, sive sit hæres solum testamentarius ex voluntate religiosi instituentis, cùm utroque casu sit verè hæres. Quod satis indicant ea verba tex. *d. cap. in presentia: intelligendum non erat sine hærede decedere, qui monasterium hæredem sibi instituit.* Secundò, qui aliqui DD. affirmant fratre Minore distribuente bona inter pauperes ante professionem, excludi substitutum, ut retulimus *num.* 17. & quamvis reprobaverimus, id contingit, ut ibi diximus, eo quod decisio illius tex. habeat solum locum, quando in bona succedit monasterium. Quod in nostro casu contingit, quia ante professionem disponit religiosus ille in favorem pauperum religiosorum, & succedit religio, quam revera ingreditur. Tertio, quia decisio *d. cap. in presentia* procedit in clerico ordinis sacri, qui perpetuo capellam Ecclesiæ sæcularis ingreditur, se & sua illi dedicans, dummodo tempore mortis ea bona superfint pauperibus, ut dicemus *num.* 32. Ergo à fortiori in nostro casu, in quo hic veram religionem ingreditur, se, & sua illi dedicans, & bona superfunt perpetuo religiosis pauperibus assignata. Nec obstat exigi, eum clericum non posse resilire, & ideo non procedere in clericis habentibus solos ordines minores, eo quod resilire valeat, ut dicemus eodem *n.* 32. at ligati his votis possunt de licentia Generalis Societatis JESU resilire, quia ex parte sua, & votorum, quæ emittunt est dedicatio perpetua, ita ut resilire nequeat. Quarto, quia cum textus solam duplicem causam piam substitutam excipiant, ne per monasterium excludatur, id tamen extendunt, & verissimè DD. ad quamcumque causam piam, ut dicemus *numer.* 34. eo quod in omni illa militet eadem exceptionis ratio. Cum ergo in nostro casu militet eadem ratio, quæ in reliquis religionibus

est, idem jus statuendum. Nec obstant in contrarium adducta *num.* 1. quia fateor, gravatum non posse ex sua mera libertate in favorem extranei, & in præjudicium substituti aliquid disponere, secus in favorem religionis, quam ingreditur, quia accedit suæ liberæ renunciationi favor juris præsumentis voluntatem testatoris fuisse, non excludere religionem sive ab intestato, sive ex ingressi dispositione succedentem in omnia religiosi bona, quando esset renunciatio particularis in favorem Societatis; quia tunc non fungeretur vice hæredis. Et ideo non posset excludere substitutum, cum exigatur monasterium esse hæredem. Ad confirmationem fateor, non sufficere institutionem monasterii in hæredem secluso ingressu. At in hoc casu concurrit cum institutione ingressus in religionem. Ad secundum dico, DD. & jura, dum petunt veram professionem, intelligere dummodo obeat, aut moriatur religiosus tempore novitiatus; nec tunc erat alius modus per quam finiretur novitiatus, ac ille verus religiosus constitueretur, nisi professio solemnis. At ea vota efficiunt verum religiosum, ac faciunt finiri novitiatum. Ad ultimum dico, Collegia Societatis JESU esse capacia succedendi, non quidem ab intestato; sed ex testamento aut renunciatione suorum religiosorum. Et ita cum frater Michael de Hugarra religiosus Societatis JESU obiret in illa post sola biennii vota, renunciassetque omnibus bonis in Collegia Complutense, & Pampelonense, lis mota est super quibusdam bonis, in quibus dictus frater institutus erat cum gravamine, ut absque liberis decedens, restitueret cuidam suæ amitæ; & duplici sententia Consilii Navarræ obtentum, decisionem *d. capit. in præsentia*, habere locum in hoc casu: & ita Collegia retinere sibi ea bona restitutioni subjecta. Atque idem credo, si domum professam Societatis JESU instituisset hæredem, aut in favorem ejus prædictam generalem renunciationem fecisset: quia potest domus professa institui quoque hæres à suis religiosis, vel à quocumque alio, ut dicemus, quod, cum secus sit in fratribus Minoribus, non procedat in illis, sed à tempore professionis admittetur substitutus, ut diximus *numer.* 13. Et quamvis postea religiosus hic, sive post sola biennii vota, sive post professionem expellatur Societate, non recuperabit ipse, nec substitutus hujusmodi bona, sicut nec cætera, quibus renunciavit, non recuperaturum diximus supra; quia per ea vota simul cum renunciatione habitus pro non scripta ea conditio; & cum renunciatio sit absoluta, non pendet à futuro eventu.

23 Sed quid si est consuetudo, ut est apud Neapolitanos, ut si vir præmoriatur uxori habenti filios, uxor lucretur antefactum quoad solum usufructum, si vero filii præmoriantur matri, lucretur quoad proprietatem, an si filius superstes erat professus in monasterio successionis capaci, & obiit ante mortem, lucretur mater proprietatem prædictam, tamquam superstes omnibus filiis præmortuis, an potius monasterium, tamquam reputatum quasi filius? *Vincentius de Franchis decis. 10ra 469.* rem utrinque disputat, dicitque pro monasterio facere, id haberi loco filii, prout tenere DD. allegati *nu.* 3. pro matre, eam non haberi loco filii, ut diximus *n.* 4. & ut diximus *n.* 5. esto haberetur, id contingit in solis casibus jure expressis, nempe, ut excludat substitutum. Cum ergo hic casus non sit jure expressus, non censebitur monasterium loco filii, ut mater dicatur mori superstite filio, ut vel sic proprietate illa privetur; & concludit causam non esse in Senatu decisam. Sed existimo matrem illam successuram in eam proprietatem, tum ob rationem prædictam, tum etiam, quia monasterium in solum illius filii professi jus succedit. Cum ergo ille non haberet jus ad eam proprietatem, nisi supervivens matri, ita nec monasterium, & sic eo præmortuo proprietas illa non monasterii, sed matris erit.

24 Secundo limitatur sententia, ut substitutus excludatur per professionem in monasterio succedendi capaci, ut intelligatur, quando monasterium vult succedere in ea professi bona: secus si repudiat. Quippe duo requiruntur, ut monasterium acquirat: alterum, ut gravatus profiteatur, alterum verò, ut bona transferantur in monasterium; quippe ipso repudiante, nec habetur ut filius, nec ut hæres. Atque ita docent *Bald. cap. in præsentia numer.* 13. *de probat. & ibi Felin. num.* 50. *Bart. Socinus l. cum avus n.* 104. *ff. de condit. & demonstr.* idem *Socinus cons.* 92. *num.* 3. *initio vol.* 1. *Ale. cons.* 13. *num.* 5. *vol.* 3. *Decius cons.* 149. *num.* 7. *vol.* 2. *& cons.* 419. *num.* 2. *vel.* 3. *Mantica d. tit.* 7. *num.* 10. *Menochius d. præsumpt.* 83. *num.* 72. *Tapia authent. ingressi verb. sua c.* 13. *nu.* 48. *C. de sacros. Eccles. Peregrin. de fideicommiss. art.* 28. *num.* 63. *Pancirol. decis.* 1. *numer.* 41. *p.* 3. Sed *Sfortias Oddo de compendios. substit. p.* 6. *q.* 1. *art.* 6. *dub.* 2. *num.* 20. ait, tunc bona ad substitutum non devolvi, atque nullam prorsus rationem adducit; sed fortè fundamentum ejus est, quia eo ipso quod gravatus professionem in monasterio capaci emisit, ea bona acquisita sunt monasterio, & substitutio penitus expiratur. Ergo ex subsequenti monasterii repudiatione id substituti jus cassatum non recuperatur, nec reviviscit. At potest responderi, contingere in horum bonorum acquisitione, quod contingit in legato determinatæ rei consistentis in specie. Sicut enim dominium hujus acquiritur legatario adita per hæredem hæreditate, & fictione juris retrotrahitur ad diem mortis testatoris, ita ut ab illa censeatur acquisitum, revocabiliter tamen, & dependenter à legatarii acceptione; & facta repudiatione antequam id acceptet, censetur, ac si penitus non acquisierit, ut optimè explicat cum aliis *Molina tom.* 1. *de justit. disput.* 181. *statim in princip.* atque proinde legatario repudiante succedet hæres institutus à testatore. Sic dicendum est, id fideicommissum acquiri statim monasterio à tempore professionis gravati, & dependi jus substituti, sed revocabiliter, & dependenter à monasterii acceptatione; quare illo repudiante admittetur substitutus. Quod si objicias, per monasterium excludi substitutum, quasi deficiente conditione, ac si essent liberi; sed liberis extantibus, quantumvis repudient, excludi substitutum, negandum est sic excludi à monasterio substitutum, ut diximus *num.* 8. *in fine.*

Sed dubitatur, à quo tempore admittatur hic substitutus. *Pancirol. allegatus num. praced.* censet facta repudiatione admitti statim substitutum minimè expectata naturali professi illius morte: quod ejus admissioni nil aliud obstabat, nisi acceptatio monasterii; ergo hoc non acceptante, admittetur statim. Rursus, quia tunc succedit substitutus in omne monasterii jus, cum prælatus sic à testatore suis hæredibus, & soli monasterio, & filiis veris postpositus, ut dicebamus *num.* 16. ergo nec monasterio succedente, nec existentibus filiis, admittetur statim substitutus, exclusis aliis professi illius hæredibus. Sed *Peregrin. num. praced.* relatus ait se valde dubitare de hujus sententiæ veritate; quia data monasterii capacitate, ea professio non æquivalet morti naturali, post quam solum vocatus est substitutus, & prælatus aliis hæredibus gravati, præter filios. Quare concludit, dum gravatus ille vivit, successuros hæredes illius in ea bona, sicut in reliqua succedunt. Et hæc sententia est verior. Et ad primum contrarium argumento, dico admissioni substituti, hoc est, ne in perpetuum expelleretur, obstare solam monasterii acceptationem, & in eo non acceptante minimè excludi in perpetuum substitutum: at ne admittatur statim, obstare vitam illius gravati, postquam vocatus est; & ideo eo vivente non admitteetur, quantumcumque monasterium repudiet. Ad secundum constat ex dictis.

26 Tertiò limitatur, ut excludatur à monasterio substitutus, quando ingressus in illud habuit effectum: secus si illo caruit, quia nimirum ingrediens exiit, aut obiit tempore novitiatus, quia per solam professionem efficitur monasterium hæres bonorum monachi. Ergo illa non sequuta, caret jure substituti. Item, quia §. *sed & hoc præsenti authent. de sanctiss. Episcop.* loquitur de ingredientibus religionem. At verba in omni materia intelliguntur cum effectu *leg.* 3. §. *hæc verba ff. quod quis jur.* atque ita tradunt *Glossa final. capit. in præsentia de probat. & ibi Abb. antiquus in fin. Joann. Andr. num.* 36. *Anton. numer.* 61. *Cardin. num. unic. colum.* 2. *alter Abb. num.* 54. *Bald. numer.* 15. *Dec. in nova edit. num.* 200. *Paris. num.* 118. *Ferret. num.* 93. & 94. *Barbat. nu.* 118. *Felin. num.* 32. *Henric. num.* 20. *Bellamer. num.* 40. *Mant. num.* 56. *Salyc. authent. nisi rogati num.* 5. *C. ad Trebell. & ibi Faber num. unic. Rosella verb. legare num.* 26. *Mant. d. titul.* 7. *num.* 11. *Menoch. d. præsumpt.* 83. *num.* 73. *Peregrin. de fideicom. art.* 28. *num.* 60. *Sfort. Oddo de compendios. subst. p.* 6. *quæst.* 2. *dub.* 2. *num.* 9. *Tapia authent. ingressi verb. sua cap.* 13. *num.* 43. quod benè intelligit ibi *Sfort. Oddo cum Bald. eo cap. in præsentia numer.* 17. nisi novitius hic egrediens transiret ad aliam religionem succedendi capacem, & in ea profiteretur. Tunc enim, etsi prior religio non excluderet substitutum, excluderet tamen illum posterior, ut ex se satis constat; similiter non excluderetur substitutus, si ille professus est, at professio fuit irrita; quia tunc non vere habuit effectum ingressus. Sic *Glossa fin. Abb. Barbat. Tapia ibid. Armilla verb. hæreditas numer.* 20. Secus, quando professio tenuit; at professus ille fuit apostata; quia ejus apostasia nocere religioni nequit. Sic *Baldus eo c. in præsentia num.* 15. *Sfort. Oddo eodem num.* 9. *Tapia num.* 44. quando autem, licet transfertur ad aliam religionem exclusio adhuc substituto, prior religio retinebit id fideicommissum in perpetuum, quia non transfert bona legitimè acquisita priori monasterio, aut alteri, ut dicemus infrà. Quare si prior esset religio Minorum, & ideo per professionem acquisita jam essent illa bona substituto, ut diximus *nu.* 16. quamvis transeat licitè ad religionem capacem, hæc non acquirit bona jam acquisita illi substituto, ut dicemus infrà.

27 Quare nec minus excludetur substitutus, si ille non ingrediatur religionem, ut religiosus efficiatur, sed gratia pœnitentiæ agendæ, cum hic non verè dicatur religionem ingressus. Atque ita docent *Bald. sed hodie n.* 3. *C. ad l. Iul. de adulter. Sfort. Oddo de compendios. subst. p.* 6. 9. 2. *à n.* 6. *dub.* 2. *n.* 11. *Menoch. d. præsumpt.* 83. *n. ult. vers. declaratur.* 8.

28 Atque eadem ratione, non evanescet substitutio, si hic solum efficiatur oblatus, se & sua tradens Ecclesiæ sæculari, cum adhuc non sit verus religiosus. Sic *Gloss. fin. c. in præsentia de probat. & ibi Anton. num.* 61. *in fine, Abb. n.* 46. *Alchar. num.* 29. *Henr. nu.* 28. *bellamen. in fin. Beroj. n.* 501. *Mant. nu.* 59. *Corne. auth. nisi rogati n.* 12. *C. ad Trebell. Angel. verb. hæredes num.* 16. *& ibi Tabien. q.* 12. *num.* 13. *Armill. verb. hæreditas numer.* 20. *in fin.* Quare non credo, quod allegatis *Baldo, & Puteo* tradit *Menoch. de præsumpt.* 83. *num.* 69. nempe excludendum substitutum, si gravatus ille se obtulerit Epi-

Episcopo servaturus regulam monasticam, eo quod in nullum monasterium admittatur, quod oblatio illa sit loco monasterii. Cæterum hoc non credo, quia cum dispositio hæc sit à jure exorbitans, ut dicemus *num. seq.* & de religiosis loquatur, non est extendenda ad hunc, qui verus religiosus non est, utpote qui in nulla religione à Sede Apostolica approbata se votis astrinxit.

29 Multoque minus vanescet, si gravatus ille monasterium non ingrediens illud hæredem instituat; & hujus rationem desumptam ex *Glos. d. c. in præsentia in fin.* reddunt auctores allegandi, quia hoc jus tamquam exorbitans ab ordinariis juris regulis, est strictè juxta terminos, in quibus loquitur, intelligendum: nam procedit ex favorabili quadam interpretatione contra propriam verborum significationem: improprietates autem sunt restringendæ, nec trahendæ ad consequentias *l. quod vero contra ff. de legibus l.* 8. *C. de dot. promiss.* atque ita docent *Gloss. authentic. nisi rogati verb. locum C. ad Trebell. & ibi Cyn. in fin. Odofredus in fin. Bartol. in fin. Jacob. Butrigar. q. ult. Petrus de Bellapertica in fin. Albericus in fin. Faber nu. unic. Corne. in fin. Fulgos. in fin. Salyeetus num.* 8. *Archidiac. c. si qua mulier* 19. *q.* 3. *n.* 2. *Anton, d. c. in præsentia n.* 37. & 62. *& ibi Bald. n.* 30. *Anchar. n.* 28. *Abb. nu.* 41. *Barbat. nu.* 103. *Decius in nova edit. nu.* 195. *Ferret. nu.* 88. *Felin. nu.* 33. *Berojus n.* 497. *Barthol. Socin. cons.* 92. *nu.* 35. *vol.* 1. *Angel. verb. hæres n.* 19. *& ibi Tabien. q.* 14. *nu.* 15. *Sylvester. verb. hæreditas* 1. *q.* 7. *n.* 10. *dicto* 5. *Armil. verb. hæreditas nu.* 21. *Sfort. Oddo cons.* 19. *n.* 24. *lib.* 1. *Peregrin. de fideicom. art.* 28. *num.* 61. *Cavalcan. decis.* 1. *num.* 41. *p.* 3. *Tapia d. authentic. ingressi verb. sua c.* 13. *num.* 41. & 42. Quare audiendi non sunt quidam contrarium dicentes, ducti ex *d. cap. in præsentia*, quatenus ait non dici absque hærede, qui monasterium hæredem instituit: ac proinde decisio illius textus non solum habere locum videtur, quando quis monasterium ingreditur, sed etiam, quando illud hæredem instituit. Item, quia favor religionis, quo ductus legislator interpretatus est non deficere conditionem instituto religionem ingrediente, militat quoque in hoc casu. Sic sentire videtur *Gloss.* in hoc casu *l. si ita quis* 131. §. *ea lege verb. interesset ff. de verb. obligat.* & disputando ait posse teneri *Mantua d. c. in præsentia nu.* 52. ubi in fine concludit id cogitandum esse, & interim à communi sententia contraria non recedendum. Et hanc sententiam dicunt æquiorem, ac juris Pontificii professoribus magis consonam *Hostiensis d. c. in præsentia nu.* 19. *& ibi Joan. Andr. n.* 34. *Henric. n.* 27. *Bellamer, n. ult.* Sed prorsus tenenda est prior sententia, nec obstaut in contrarium adducta. Non primum, quia, quamvis ratio videatur generalis, at revera gravatus ille in monasterio professus fuerat, & ideo ratio illa debet restringi ad terminos facti, de quo ibi tractatur. Nec etiam obstat secundum, quia non militat idem favor, quando quis sola sua tradit monasterio, illud hæredem instituens, ac quando quis se cum omnibus suis in perpetuum religioni dicat.

30 Nec etiam evanescet, si ille ingrediatur capellam sæcularem, cum adhuc non sit religiosus. Atque ita docent *Glos. d. authent. nisi rogati verb. locum*, & ibi *Odofred. num.* 4. *Jacob. Butrigar. q. penult. Bartol. in fine Boldo n.* 11. *in fin. Faber. nu. unic. Salycet. n.* 4. *in fine, Corne. n.* 12. *Fulgos. nu.* 4. Limitat *Bald.* nisi ille bona sua dedicaret illi capellæ, vel omnia ea, aut saltem hæreditatem illam, in qua gravatus est, distribueret in pia opera: quod consonat dicendis infra, & juxta illa est intelligendum.

31 Sed difficultas specialis est, an si ille gravatus fiat clericus Ecclesiæ sæcularis, evanescat ea substitutio? Quidam sentiunt non evanescere substitutionem. Ducuntur, quod non sit idem favor clericorum, ac religiosorum, & tex. §. *sed & hoc præsenti auth. de sanctiss. Episc.* loquens de religiosis, tamquam exorbitans non est extendendus ad clericos sæculares. Quare sententia hæc sic explicat illum tex. dum ait, sive monasteria ingrediantur, sive clerici fiant, ut illa disjunctio intelligatur, sive fiant religiosi clerici, sive religiosi laici. Et ideo hanc partem tuentur *Gloss. authent. si qua mulier verb. liberos C. de sacrof. Eccles. Anton. c. in præsentia, n.* 61. *de probat. & ibi Abbas nu.* 43. *Ferret. nu.* 92. *Mant. nu.* 55. *Corne. authent. nisi rogati num.* 22. *C. ad Trebell. & ibi Salycetus n.* 4. *in fin. Roselli. sum. verb. legare, nu.* 25. *Sfort. Oddo cons.* 19. *n. ult. lib.* 2.

32 Verum opposita sententia est frequentissima, & tenenda, nempe, evanescere tunc substitutionem, concurrentibus conditionibus mox explicandis. Probatur ex *d.* §. *sed hoc præsenti*, ibi; *sive masculi, sive fœminæ monasteria ingrediantur, aut clerici, aut diaconissæ, aut ascetriæ fiant* quia diaconissa non in monasterio, sed in Ecclesia ministrabat altari, ut notat *Gloss.* §. *quanta igitur verb. diaconissæ auth. quomodo oport. Episc.* Item quia textus ille ait, *hoc autem solatio clerici, & diaconissæ fruantur*, id est, fruuntur nempe, ut conditio, si absque liberis decesserint, habeatur pro non adjecta, perinde ac si religionem ingrederentur. Tandem, quia textus ille subjungit, his bonis clericos, dum vixerint, potituros, eaque ipsius defunctis expendenda in opera pia. Quod verum esse nequit, si de clericis regularibus loqueretur, cum per professionem evanescat in perpetuum substitutio, nec bona illa sint expendenda in opera pia, sed ad monasterium pertineant. Et ideo hanc partem tuentur *Gloss. eo* §. *sed & hoc præsenti verb. clerici & authentic. nisi rogati verb. locum Cod. ad Trebell. & d. cap. in præsentia, fin. ubi Innocent. nu.* 8. *Hostiens. n.* 19. *Imola n.* 18. *Felin. n.* 31. *Bellamer. nu.* 31. *Decius in nova edit. nu.* 20. *Paris. nu.* 117. *Berojus nu.* 498. *Speculat. tit. de statu monach.* §. *ult. q.* 15. *nu.* 20. *Cynus d. auth. nisi rogati, num.* 2. *q.* 2. *Albericus n.* 2. *Angel. sum. verb. hæres nu.* 15. *& ibi Tabien. q.* 11. *nu.* 12. *Armil. verb. hæreditas nu.* 20. *in fin. Mantic.* aliosque referens *d. tit.* 7. *p.* 22. *Simon. de Pratis de interpret. ult. volunt. lib.* 2. *interpr.* 2. *dub.* 2. *solut.* 2. *nu.* 109. *Joan. Dilect. de arte testand. tit.* 5. *cautel.* 18. *nu.* 5. *Sfort. Oddo de compendios. substitut. p.* 6. *q.* 2. *art.* 6. *dub.* 2. *nu.* 19. *Cavalcan. decis.* 1. *num.* 33. *p.* 3. *Menoch. d. præsumpt.* 83. *à nu.* 65. *usque ad* 67. *Gustier. qq. can. libr.* 1. *cap.* 32. *num. ult. Bened. Ægid. in l. Titia si non nupserit.* 100. *p.* 1. *n.* 4. *ff. de condit. & demonst. Faber citatus supra n.* 4. *fin.* Duplex autem conditio exigitur, ut clericus hoc privilegio excludendi substituti fruatur. Prior est, ut perpetuo in clericatu perseveret. Posterior, ut in fine vitæ bona illa, quæ substituto restitutus erat, det Ecclesiæ, vel in alia opera pia expendat. Quæ utraque conditio expresè habetur *d.* §. *sed & hoc præsenti*, & eam tradunt omnes DD. citati. Quare exigitur, ut clericus ille sacris initiatus sit, quia ordines minores non astringunt ad perpetuam in clericatu perseverantiam. Sic *Berojus*, *Mantica ibid. Menoch. ea præsumpt.* 83. *n.* 67. *in fin, & n.* 68. *Benedict. Ægidius eo nu.* 45. Nec requiritur, ut clericus ille se alicui Ecclesiæ dedicet, sed satis est, ut illi perpetuo inserviat, ut benè tradit *Sfort. Oddo proximè allegatus*. At debet continuo habitare in domo Ecclesiæ, non autem in domo paterna, ut cum *Cappa consil.* 2. *numer.* 12. tradit *Menoch. consil.* 245. *num.* 28. *vol.* 3.

33 Quartò limitatur, nisi alia pia causa fuerit substituta, quippe si hæc substituatur, non excluderetur per professionem gravati. Hanc limitationem ita universaliter acceptam negant aliqui dicentes solum habere verum, si ea causa pia substituta sint pauperum alimenta, aut redemptio captivorum. Ducuntur, quia hæc duplex causa pia substituta excipiuntur *d.* §. *sed ei hoc præsenti* ibi; *si tamen in redemptione captivorum, aut agentium alimento sub prædictis conditionibus substitutio fiat, ex nullo memoratorum modo eam excludi permittimus*. Nec militat eadem favoris ratio in aliis causis piis; nam hæres gravatus restituere quidquid de hæreditate supererit tempore mortis, tenetur quartam illius partem reservare substituto, nec potest illam expendere, nisi in dotem necessariam, cum aliis careat bonis; aut captivorum redemptionem; ut constat ex *auth. de rest. in princip. vers. si vero, & ipsam quartam collat.* 8. & tamen ibi *Gloss. verb. excipimus* negat eodem privilegio potiri reliquas causas pias. Secundo, quia nequit dici ea verba apposita esse causa exempli, ac subinde non restringere regulam; quia non apponuntur verba id denotantia, qualia sunt, ut, sicut, & similia; sed verba restringentia ibi, si tamen, arg. *l. aquissimum* §. *si tamen ff. de usufr.* Atque ideo ita sustinent *Barbat. c. in præsentia n.* 114. *de probat. Ascanius Clemen. de patr. potestate c. ultimo n.* 71. habetur *tom.* 3. *tract. p.* 1.

34 Cæterum idem dicendum est de quacumque causa pia substituta: quia etsi major favoris ratio in duplici eo casu expresso §. *sed & hoc præsenti*, reperiatur; at satis est in aliis piis causis concurrere similem favorem, & sufficientem, etsi tantus non sit. Quoties enim per dispositionem reditur ad jus commune, licet in ea certi casus majorem rationem habentes exprimantur, potest extendi ad similes causas habentes sufficientem rationem, licet non tanta sit, quanta in casibus expressis reperitur, ut satis colligitur ex *Gloss. c. statutum verb. numerandum, de præbend. in* 6. & allegato *Socin.* tradit *Berojus c. in præsentia. num.* 455. *de probat.* præterea, quia in omni causa pia versatur salus animæ testatoris, & pietas, super quibus fundatur dicta dispositio. Rursus, quia expirare hanc substitutionem per professionem, inductum est in favorem piæ causæ, contra propriam verborum significationem: ergo ubi substituta est pia causa, cessat prædicta ratio; & sic non debent verba impropriari in favorem religionis contra favorem alterius piæ causæ. Privilegiatus enim non utitur privilegio suo contra alium privilegiatum, concurrentibus pariter privilegiis utriusque. Tandem, quia ejus exceptionis ea est ratio, quod duplex ratio vincat unam *l. nam, & si parentibus ff. de inoff. testam.* At respectu monasterii est una ratio, quæ est causam esse piam, respectu autem causæ piæ, ultra hanc est alia, nimirum eam esse à testatore substitutam, quæ utraque invenitur in quavis pia causa substituta. Ergo idem in omni causa pia sentiendum est: atque ex his constat solutio ad rationes contrarias. Ideo hanc partem sustinent *Glos. eo* §. *sed & hoc præsenti verb. sed & hoc Speculat. titul. de statu monach.* §. *unic. nu.* 19. & 20. *quæst.* 15. *Gloss. fin. d. c. in præsent. & ibi Innoc. n.* 8. *Hostiens. n.* 19. *Anton. n.* 60. *Abb. n.* 36. *Card. n. unic. column.* 4. *vers. in gloss. fin. Anchar. num.* 19. *Imol. nu.* 17. *Bellamera nu.* 29. & *nu. ult. Decius in nova edit. nu.* 192. *& ibi Felin. nu.* 29. *Paris. nu.* 113. *Ferret. nu.* 8. *in fin.* & *nu.* 99. *Berojus à n.* 451. *usque ad* 455. *Mant. n.* 47. & 48. *Bart. auth. nisi rogati n. unic. q.* 1. *C. ad Trebell. & ibi Alberic. n.* 1. *Bald. n.* 6. & 7. *Corne. num.* 11. *Jacobus Butrigar. notab.* 1. *Additionator ad Salycet. verb. loco filii, Bart. authent. ingressi in* 2. *lectur. num.* 54. *C. de sacros. Eccles. Idem Alberic. authent. si qua mulier. nup.* 2. *C. eod. titul. Bald. cons.* 180. *in initio vol.* 1. *Oldrad. cons.* 119. *in fin. idem Decius consil.* 426. *nu.* 10. *vol.* 3. *& auth. quirem in fin. C. de sacros. Eccles. Corn. cons.* 236. *nu.* 6. *lib.* 3. *Roma l. fin. nu.* 35. *Cod. de pact. & in repetit. auth. similiter n.* 64. *C. ad l. Falcid.*